

pro ejus amore se macerat, & quod sibi subtrahit, alteri largitur.

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi Remigius. Sufficit enim tibi ut qui est inspector conscientia, sit & remunerator. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, oper. imperf.) Spiritualem autem facies animæ conscientia intelligitur. Sicut enim in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est munda conscientia. Has facies hypocrite, qui propter homines jejulant, exterminant, fallere volentes Deum, & homines: nam semper vulnerata est conscientia ejus qui peccat. Si ergo abstuleris nequitiam ab anima tua, lavasti conscientiam tuam, & bene jejunas. *Leo Papa* in ser. de Jejun. (serm. 6, de quadragesima incipit, Semper quidem.) Impleri enim debet jejunium, non ciborum tantummodo parcitate, sed maxime privatione vitiorum. Nam cum ob hoc castigatio ista sumatur ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum est conscientie genus quam ut semper simus ab injusta voluntate sobrii, & ab inhonesta actione jejunii: quæ devotio non fecerit invalidos, quia etiam in languido corpore potest animæ integritas reperiri. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf.) Spiritualem autem caput tuam Christus est. Sitientem pota, eurentem ciba; & sic oleo misericordie unxisti caput tuum, id est Christum, qui clamatur in Evangelio (intra 25.) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* *Gregorius* in hom. (16, super Evang.) Illud enim jejunium Deus approbat quod ante oculos ejus manus elemosynarum lavat. Hoc (1) ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparatur. *Augustinus* de Serm. Dom. (Lib. 2, cap. 20.) Vel caput recte accipimus rationem, quia in anima præminet, & cetera hominis membra regit. Ungere ergo caput ad lætitiā pertinet. Interius ergo gaudeat de jejunio suo qui jejunando se averteat à voluntate sæculi, ut sit subditus Christo. *Glossa* (ord. super illud, *Ungere caput tuum.*) Ecce non omnia in novo testamento ad litteram accipiuntur. Ridiculum enim est in jejunio oleo delibari; sed spiritu amoris ejus, cujus passionibus debemus participare, nos macerando, mens debet inungi. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf.) Proprie autem debet faciem quidem lavare, caput autem non lavare, sed ungeri. Quamdiu enim sumus in corpore, conscientia

nostra sordida est in peccatis. Caput autem nostrum Christus peccatum non fecit.

(2) *Chrysostronus* in hom. 21. Postquam vanæ gloriæ expulsi aegritudinem, optime jam sermonem de contemptu divitiarum inducit. Nihil enim ita pecunias concupiscere facit, ut gloriæ cupido: propter hoc namque famulorum greges, & auro apertos equos, & argentæ mensas expetunt homines, non ut utilitatem, aut voluptatem impliant, sed ut multis ostendantur; & hoc est quod dicit. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* *Augustinus* de Serm. Dom. (Lib. 2, cap. 21.) Si enim eo corde quisque operetur aliquid ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit cor mundum quod in terra volatur. Sordescit enim aliquid cum inferiori miscetur nature, quamvis in suo genere non sordidetur: quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si miscatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis terra in suo ordine munda sit. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf. à medio.) Vel aliter. Quia supra Dominus nihil de elemosyna, vel oratione, vel jejunio docuerat, sed simulationem eorum compevit tantum; nunc secundum tria prædicta, tres consequentias introducit doctrinæ, quarum prima pertinet ad elemosynam, quæ est hæc: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:* ubi primo dat consilium ut elemosyna fiat; ut sit ordo narrationis talis: *Cum facis elemosynam, noli tuba canere ante te:* & postea subsequitur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:* secundo ostendit quæ sit utilitas in elemosyna faciendâ: tertio ut neque timor inopie accidentis impediatur voluntatem elemosynæ faciendæ. *Chrysostronus* in hom. (21, in Matth. super illud, *Nolite thesaurizare.*) Dicens autem, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,* subdit, *Ubi arugo, & tinea demolitur:* ut demonstraret thesauri qui est hic, nocentium, & ejus qui est in celo, utilitatem, & à loco, & ab his quæ nocent; quasi dicat: Quid formidas ne pecuniæ consumantur, si elemosynam dederis? Itaque da elemosynam, & additionem accipient: etenim quæ in celis sunt apponuntur: quod si non dederis, pereunt. Et non dixit, Aliis derelinquis, quoniam hoc delectabile est hominibus. *Rabbans* (2) (super eodem verbo.) Tria autem ponit, secundum tres diversitates divitiarum. Metalla ærugini, vestes tinea demoluntur: sunt autem alia quæ neque æruginem, neque tinea timent, sicut lapides pretiosi; & ideo ponit generale detrimentum, scilicet fures, qui omnes divitias rapere possunt. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf. à medio.) Alia littera habet: *Ubi tinea, & commassura exterminant.* Omnia enim bona mundi (1) triplex tollit interitus. Aut enim à semetipsis veterescent, & tineant, sicut vestimenta; aut ab ipsi dominis luxuriose viventibus comeduntur; aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel alio iniquo modo diripiuntur: qui omnes fures dicuntur quia per iniquitatem festinant aliena facere sua. Sed dices: Numquid omnes qui hæc habent, perdent ea? Interim quidem dicam, quia etiam non omnes perdunt, tamen multi perdunt. Vere autem & male servatas divitias, etiam non corporaliter, spiritualiter tamen perdidisti: quia non proficiunt tibi ad usum salutis. *Rabbans.* Allegoricè autem arugo significat superbiam, quæ decorem virtutum obfuscat. Tinea, quæ vestes latenter rodit, invidia est, quæ bonum studium lacerat, (2) & per hoc compactionem unitatis dissipat. Fures sunt hæretici, & demones, qui semper ad hoc sunt intenti ut spiritualibus spolient. *Ceterius* (can. 5, in Matth. parum à princip.) Heterum laus celestis æterna est, nec furto surrepti subtrahenda, nec tinea, & rubigine invidiæ excidenda: & ideo sequitur: *Thesaurizate autem vobis thesauros in celis, ubi neque arugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, neque furantur.* *Augustinus* de Serm. Dom. in monte (Lib. 2, cap. 21, parum à princip.) Cælum autem hoc loco non corporeum acceperim, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemere qui sibi thesaurizat in illo celo de quo dictum est (Psal. 113.) „Cælum cæli, Domino,“ id est in firmamento spiritali. *Cælum enim, & terra transibunt:* infra 23, non autem in eo quod transit, collocare debemus thesaurum nostrum, sed in eo quod semper manet. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf. à med.) Quid ergo melius est, an (3) in terra reponere, ubi incertus est conservacionis eventus, an in celo, ubi est certa custodia? Quæ autem stulticia est illic relinquere unde exiturus es, & illuc non præmittere quo iturus es? Ille ergo substantiam tuam colloca ubi patriam habes. *Chrysostronus* in hom. (21, in Matth. ante med.) Quia tamen non omnia in thesauris ærugini, aut tinea destruitur, aut per fures auferuntur; ideo aliud inducit dicens: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum;* ac si dicat: Esti nihil priorum ve-

niat, non parvam sustinebis facturam inferioribus affixus, & eorum servus jaculus, & à carnalibus cadens, & nihil excellorum cogitare potens. *Hieronymus* (super illud, *Ubi enim est thesaurus.*) Hoc autem non solum de pecunia, sed de cunctis possessionibus sentiendum est. Gulosi enim Deus venter est; lascivi thesaurus sunt lubrica, (4) amoris libido. Huic servit unusquisque à quo vincitur. Ibi ergo habet cor, (5) ubi & thesaurum, *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf.) Vel aliter. Ponit nunc quæ sit utilitas in elemosyna faciendâ. Qui enim collocat thesauros in terra, non habet quid speret in celo. Ut quid ergo aspiciat in cælum, ubi nihil repositum habet? Unde dupliciter peccat: primo quia mala congregat; secundo quia cor habet in terra: & ex contrariis causis dupliciter bene facit qui thesaurizat in celo.

(6) *Chrysostronus* in hom. (21, ante medium.) Postquam fecit mentionem de intellectu in servitute redacto & captivo, quia hoc non multis facile cognoscibile erat, ad anteriorem doctrinam transponit dicens: *Lucerna corporis tui est oculus tuus;* ac si (6) dicat: Si non nosti quid est jactura intellectus, à corporalibus hoc discere: quod enim est oculus corpori, hoc est intellectus animæ. Sicut ergo oculis orbatis multum operationis reliquorum membrorum amittitur, lumine eis extincto; ita & mente corrupta, multis malis vira tua impletur. *Hieronymus* (super illud, *Si oculus tuus fuerit simplex.*) Hoc ergo totum transfert ad sensum: quomodo enim corpus totum est in tenebris, si oculus non fuerit simplex; ita si anima principalem fulgorem suum perdididerit, universus sensus, vel sensualis pars animæ in caligine commorabitur: unde dicit: *Si ergo lumen quod in te est, tenebra sint, ipsa tenebra quante erunt?* id est, si sensus, qui lumen est animæ, vitio calcigatur, ipsa putas caligo quibus tenebris obvolvitur? *Chrysostronus* super Matth. (hom. 15, in oper. imperf. à med.) Videtur autem quod non de corporali oculo loquatur, nec de hoc corpore quod videtur de foris; alioquin dixisset, Si oculus tuus sanus fuerit, aut infirmus; nunc autem (7) dicit, *Simplex, & nequam.* Si autem benignum oculum habet & infirmum, numquid corpus ejus in lumine est? aut si malignum & sanum, numquid corpus ejus in tenebris est? *Hieronymus* (ibidem.) Sed solent lippientes lucernas videre numerosas; simplex autem oculus & purus simplicia intuetur. & pura. *Chrysostronus* super Matth.

(1) *Al.* autem.

Ex edit. P. NICOL. (2) Vel potius Anselmus parum Latina phrasi: nam hæc aliis verbis Rabbans habet.

(1) *Al.* tripliciter. (2) *Al.* Per compactionem unitatis. (3) *Al.* super terram. (4) *Al.* amatoris. (5) *Al.* ubi est thesaurus. (6) *Al.* dixerit. (7) *Al.* subdit.

Matth. (ibidem.) Vel dicitur oculus non à foris, sed ab intus. Lucerna enim est mens, per quam anima videt Deum. Qui ergo cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est; idest, illius mens munda est, non terrenis concupiscentiis sordidata. Tenebræ autem in nobis sunt sensus carnales, qui semper desiderant quæ sunt tenebrarum. Qui ergo habet oculum mundum, idest mentem spiritalem, corpus suum servat lucidum, idest sine peccato: etsi enim caro desiderat mala, virtute tamen divini timoris repercutit eam. Qui autem habet oculum, idest mentem aut malignitate tenebrosam, aut concupiscentia turbulentam, tenebrosam possidet corpus: non enim resistit carni quando concupiscit perverti, quia non habet spem in cælo, quæ præstat nobis virtutem ut concupiscentiis resistamus. *Hilarius* (can. 5. in Matth. paulo post princ.) Vel aliter. De officio luminis oculi, lumen cordis expressit: quod si simplex, & lucidum manebit, claritatem æterni luminis corpori tribuet, & splendorem originis suæ corruptioni carnis infundet, scilicet in resurrectione; si autem obscurum peccatis, & voluntate erit nequam, vitii mentis natura corporis subjacebit. *Augustinus* de Serm. Domini (Lib. 2. cap. 21. ante med.) Vel aliter. Oculum hic accipere debemus intentionem nostram; quæ si munda fuerit, & recta, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, bona sunt: quæ quidem omnia totum corpus appellavit, quia & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, ubi ait (Colos. 3.) „Mortificate membra vestra fornicationem, & immunditiam.“ Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus. „Omne enim quod manifestatur, lumen est.“ (Eph. 5.) Ipsa vero facta, quæ ad hominum societatem procedunt, incertum nobis habent exitum; & ideo tenebras eas vocavit: non enim novi cum pecuniis porrigo indigenti, quid sit inde facturus. Si ergo ipsa cordis intentio, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu temporalium rerum, magis ipsum factum, cujus incertus est exitus, sordidum erit: quia etsi bene alicui proveniat, quod tu non recta intentione facis, quomodo tu feceris, imputabitur tibi, non quomodo illi provenit. Si autem simplici intentione, idest sine caritatis, opera nostra fiant, tunc munda sunt, & placent in conspectu Dei. *Augustinus* contra Mendac. (cap. 7.) Sed ea quæ consistat esse peccata, nulla velut bona intentione fa-

Ex edit. P. Nicol. (a) Insinuat Anselmus, ut supra, non autem Glossa qualis nunc extat.

cienda sunt: ea quippe opera hominum si causas habuerint bonas, vel malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per seipsa peccata: sicut victum præbere pauperibus bonum est, si fiat misericordiæ causa; malum autem, si fiat causa jactantiæ. Cum vero opera ipsa peccata sunt, ut furta, & supra, & hujusmodi; quis dicat causas bonas esse faciendæ, vel peccata non esse? Quis dicat: Furemur divitiis, ut habeamus quid demus pauperibus? *Gregorius* 28. Moral. (cap. 13. in antiquis, in novis exemp. 6.) Vel aliter. Si lumen quod in te est; idest, si hoc quod nos bene agere cepimus, ex mala intentione offuscamus; ipsa quæ mala esse non ignoramus, etiam cum facimus quæ tenebræ erunt? *Remigius*. Vel aliter. Fides lucernæ assimilatur, quia per eam gressus interioris hominis, idest actio, illuminatur, ne offendat, secundum illud Psal. 118. „Lucer, na pedibus meis verbum tuum:“ quæ si fuerit munda & simplex, totum corpus lucidum erit, si vero sordida, totum corpus erit tenebrosum. Vel aliter. Per lucernam intelligitur rector Ecclesiæ, qui bene oculus dicitur, quia salutaria plebi subjactæ providere debet, quæ per corpus intelligitur. Si ergo rector Ecclesiæ erraverit, quanto magis errabit populus ei subjectus?

(q) *Chrysostronus* super Matth. (hom. 16. in oper. imperf. in princ.) Superius dixerat Dominus, quod qui habet mentem spiritalem, ille potest corpus suum servare sine peccato; qui autem non habet, non potest; cujus rationem subjungit, dicens: *Nemo potest duobus dominis servire.* *Glossa*. (a) Vel aliter. Quia dictum est supra, quod propter intentionem temporalium, bona mala sunt: unde possit aliquis dicere: Ego faciam bona & propter temporalia, & propter cælestia. Contra quod Dominus ait: *Nemo potest duobus dominis servire.* *Chrysostronus* in hom. 22. Vel aliter. In anterioribus, avaritiæ compressit tyrannidem per multa & magna; sed adduc alia apponit ampliora. Non enim in hoc solum nobis nocent divitiæ quod latrones adversus nos amant, & quod intellectum obtenebrant, sed etiam à servitute Dei nos expellunt. Et hoc præbat à communibus conceptionibus, dicens: *Nemo potest duobus dominis servire*: duos autem dicit qui contraria injungunt: concordia enim multos unum facit: quod ostenditur per hoc quod subdit: *Aut enim unum odio habebit.* Ideo autem duo ponit, ut monstrat facilem esse transmutationem ad melius. Si enim dicas: Servus factus sum pe-

cuniarum, amando scilicet eas, monstrat quod possibile est ad aliud venire, scilicet non sufficendo servitute, sed contemnendo. *Glossa*. Vel duo tangere videtur servientium genera. Quidam enim serviunt liberaliter ex amore, quidam serviliter ex timore. Si ergo aliquis ex amore serviat uni contrariorum dominorum, necesse est ut alterum odio habeat; si vero ex timore serviat, necesse est ut dum unum sustinet, alterum contemnat. Res autem terrena, vel Deus, si in corde hominis dominetur, ad contraria ex utroque trahitur homo: nam Deus trahit ad superiora sibi servientem, res vero terrena ad inferiora: & ideo quasi concludens subdit: *Non potestis Deo servire, & mammonæ.* *Hieronymus* (super illud, *Non potestis servire Deo, & mammonæ.*) Mammona sermone Syriaco divitiæ nuncupantur. Audiatur ergo hoc avarus, qui censetur vocabulo christiano, non posse se simul divitiis, Christoque servire. Et tamen non dixit, Qui habet divitiis; sed, Qui servit divitiis. Qui enim divitiarum servus est, divitiis custodit ut servus; qui autem servituti excussit jugum, distribuit eas ut dominus. *Glossa*. Per mammonam etiam intelligitur diabolus, qui præest divitiis, non quod possit eas dare, nisi quando Deus permittit, sed quia per eas homines fallit. *Augustinus* de Sermone Domini in mon. (Lib. 2. cap. 22.) Qui enim servit mammonæ, idest divitiis, illi utique servit (r) qui rebus istis terrenis merito suæ pervertitatis præpositus, princeps hujus sæculi à Domino dicitur. Vel aliter. Qui sint duo domini ostendit cum dicitur: *Non potestis Deo servire, & mammonæ*, scilicet Deo, & diabolo. Aut ergo hunc odio habebit, homo, & alterum diligit, idest Deum; aut alterum patietur, & alterum contemnet. Patitur enim durum dominum quisquis servit mammonæ: sua enim cupiditate implicatus subditur diabolo, & non eum diligit. Sicur qui ancillæ alienæ conjunctus est, propter concupiscentiam, durum patitur servitute; etsi non diligit eum cujus ancillam diligit. Dixit autem, *Alterum contemnet, non Odio habebit*: nullus enim vera conscientia Deum potest odifese. Contemnit autem, idest non timet, eum, cum quasi de ejus bonitate securus est.

(r) *Augustinus* de Serm. Domini in mon. (Lib. 2. cap. 22.) Quia superius docuerat Dominus, quod quisquis vult diligere Deum, & cavere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse servire; ne forte quamvis jam superflua non querantur, propter ipsa tamen necessaria cor dupliciter, & ad ea deslectenda tor-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. quibus. (2) Al. deest non. (3) Al. omittitur integra sequens sententia. (4) Al. quod autem hic dicitur, de corporali cibo &c. (5) Al. omittitur de opere.

queatur intentio; subjungit dicens: *Ideo dico vobis: Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* *Chrysostronus* in hom. 22. Non hoc dicit, quod anima cibo indigeat, incorporea est enim; sed secundum communem locutus est consuetudinem: aliter enim non potest morari in corpore, nisi eo cibato. *Augustinus* (Lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 22.) Vel animam in hoc loco pro animali vita positam noverimus. *Hieronymus*. In nonnullis codicibus additum est, *Neque quid bibatis*. Ergo quod omnibus natura tribuit & jumentis, & bestiis, hominibusque commune est, hujus cura (2) non penitus liberamur; (3) sed præcipitur nobis ne solliciti simus quid manducemus: quia in sudore vultus præparamus nobis panem: labor exercendus est, sollicitudo tollenda. (4) Quod autem hic dicitur, *Ne solliciti sitis*, de carnali cibo, & vestimento accipiamus: ceterum de spiritualibus cibis, & vestimentis spiritus debemus esse solliciti.

Augustinus de Hæc. (cap. 57.) Dicuntur autem Eucharistia quidam hæretici, opinantes, monacho non licere sustentandæ vitæ suæ causa, aliquid operari, atque ita seipso profiteri ut omnino ab operibus vacent. *Augustinus* de Opere Monach. (cap. 1.) Iniquum enim: Non de hoc opere corporali, in quo vel agricolæ, vel opifices laborant, præcepit Apostolus cum dixit (2. Thess. 3.) „Qui non vult operari, non manducet.“ Neque enim Evangelio potuit esse contrarius, ubi ait Dominus: *Ideo dico vobis: Ne solliciti sitis*. In verbo ergo Apostoli prædicto spiritualia opera debemus accipere, de quibus alibi dicitur (1. Corinth. 3.) „Ego plantavi, Apollo rigavit.“ Et ita se arbitrantur apostolica, & evangelicæ obtemperare sententiæ, cum Evangelium credunt de non curandâ corporali vitæ hujus indigentia præcepisse, & Apostolum (5) de opere, & cibo spirituali dixisse (loc. cit.) „Qui non vult operari, non manducet.“ Prius ergo demonstremus Apostolum opera corporalia servos Dei operari voluisse. Præmiserat enim dicens: „Ipsi scitis, quomodo oporteat nos imitari, quia non inquieti fuimus inter vos, neque panem ab aliquo gratis manducavimus; sed in labore, & fatigatione die ac nocte laborantes, ne quem vestrum gravaremus: non quia non habuimus potestatem, sed ut nos ipsos formam daremus vobis, quia nos imitaremini. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet.“ Quid ad hoc dici

G 2

po-

potest, quando exemplo suo docuit quid præceperit, scilicet corporaliter operando? Nam quod corporaliter operaretur, ostenditur in Actibus cap. 18. ubi dicitur, quod mansit cum Aquila, & uxore ejus Priscilla, opus faciens apud illos: erant enim tabernaculorum artifices. (Cap. 3.) Et tamen Apostolo tamquam prædicatori Evangelii, militi Christi, plantatori vineæ, pastoris gregis constituerat Dominus ut de Evangelio viveret; qui tamen stipendium sibi debitum non exegit, ut se formam daret eis qui exigere indebita cupiebant. Audiant ergo qui non habent hanc potestatem quam ille habebat, ut tantummodo spiritaliter operantes manducant panem à corporali labore gratuitum. (Cap. 21.) Si autem Evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, habent hanc potestatem. Si falem habebant aliquid in sæculo, quo facile sine officio sustentarent hanc vitam, quod conyerſi ad Deum indigentibus dispartiti sunt; & credenda est eorum infirmitas, & ferenda. Nec attendendum in quo loco hoc quod habebant, impenderint, cum omnium Christianorum sit una respublica. (Cap. 22.) Sed qui veniunt ad professionem servitutis Dei ex vita rusticana, & ex opificum exercitio, & plebeo labore, si quominus operentur, excusari non possunt. Nullo enim modo docet ut in ea vita ubi fenatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; & quo veniunt relictiis deliciis suis qui fuerunt prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. At cum Dominus ait, *Nolite solliciti esse*, non hoc dicit ut ista non procurent, quantum necessitatis est, unde honeste poterunt; sed ut ista non intueantur, & propter ista faciant quicquid in Evangelii prædicatione facere jubentur: eam namque intentionem paulo superius oculum vocaverat. *Chrysoſtomus* in hom. (22. in Matth.) Vel potest aliter continuari: cum enim docuisset Dominus pecuniam despiciere, ne aliqui dicerent, Qualiter poterimus vivere, si omnia proiecerimus? subjungit dicens: *Ideo que dico vobis: Ne solliciti sitis animæ vestræ.* *Glossa* (interlin.) Id est, cura temporali ne retrahamini ab æternis. *Hieronymus*. Præcipitur ergo nobis ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudore vultus præparamus nobis (1) panem. Ergo labor exercendus est, sollicitudo tollenda. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 16. in op. imperf.) Non enim sollicitudinibus spiritalibus, sed laboribus corporalibus (2) acquirendus est panis, qui laborantibus pro præmio diligentia, Deo præstante, abundat, & negligenter

(1) *Al.* panem (2) *Al.* accipiendus. (3) *Al.* ne redempti in corpus, atque animam contumelia &c. (4) *P. Nicolai* habet ex Græcia.

tibus pro pœna, Deo faciente, subducitur. Confirmat autem spem nostram Dominus; & primo de majori ad minus descendit, dicens: *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* *Hieronymus*. Qui majora præstitit, utique & minora præstabit. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 16. in op. imperf.) Nisi enim voluisset conservari quod erat, non creasset: quod autem sic creavit ut per escam servetur, necesse est ut det ei escam quamdiu vult esse quod fecit. *Hilarius* (can. 5. in Matth. ante medium.) Vel aliter. Quia corruptus circa futurorum curam, infidelium sensus est; calumniantium quæ in resurrectione corporum species sit futura, quæ in substantia æternitatis alimonia; ideo subsequenter dicitur: *Nonne anima plus est quam esca?* Non enim patitur spem nostram futuram in resurrectione cibi, & potus, & vestitus sollicitudine demorari, ne tanto pretiosiora reddenti, (3) corpus scilicet, atque animam, contumelia in non efficiendis levioribus inferatur.

(1) *Chrysoſtomus* (hom. 16. super Matth. in op. imperf.) Postquam confirmavit spem nostram de majore ad minus descendens, deinde de confirmat de minori ad majus ascendens, cum dicit: *Respiciite volatilia cæli, quia non serunt, neque metunt.* *Augustinus* de opere Monachorum (cap. 23.) Quidam de dicunt propterea operari non debere, quia nec volucres cæli seminant, neque metunt. Cur ergo non attendunt quod sequitur: *Neque congregant in horrea?* Cur ergo istius manus otiosas, & plena repositoria volunt habere? Cur denique molunt, & coquant? Hæc enim aves non faciunt. Aut si reperiunt quibus hoc persuadeant, ut eis per singulos dies escas afferant præparatas; saltem sibi de fontibus aquam afferunt, & reponunt, quod volatilia non faciunt. Sed si nec aqua sibi vasa coguntur implere, etiam illos qui tunc erant Hierosolymæ novo gradu justitiæ supergressi sunt, qui demisso sibi (4) ex gratia frumento panem fecerunt, aut facere curaverunt; quod aves non faciunt. Non possunt autem ista servare, ut scilicet nihil in crastinum reponant, qui se per multos dies à conspectu hominum separatos, & nulli ad se præbentes accessum, includunt seipſos, viventes in magna intentione orationum. An forte quo sunt sanctiores, eo sunt volacribus dissimiliores? Quod ergo dicit de volatilibus cæli, ad hoc dicit, ne quisquam putet Deum servorum suorum necessaria non curare, cum ejus providentia usque ad ista

gu-

Al. ne redempti in corpus, atque animam contumelia &c. (4) *P. Nicolai* habet ex Græcia.

gubernanda perveniat. Neque enim non ipse pascit eos qui manibus operantur, neque etiam quia Deus dixit (Psal. 49.) „Invoca me in die tribulationis, & eruam te:“ non debuit fugere Apostolus, sed expectare ut comprehenderetur, & eum Deus, sicut tres pueros, de mediis ignibus liberaret. Sicut enim qui fugientibus sanctis hujusmodi quæstionem objiceret, responderent, non se oportuisse tentare Deum, sed tunc talia Deum, si vellet, esse facturum, ut eos liberaret, sicut Daniele à leonibus, & Petrum à vinculis, cum ipsi quid facerent, non haberent; cum vero eis fugam in potestatem dedisset, etiam si liberarentur per illam, non nisi ab ipso liberari: sic servis Dei valentibus manibus suis victum transigere, si ex Evangelio moverit quæstionem de volatilibus cæli, quæ non seminant, neque metunt, facile responderent: Si nos per aliquam infirmitatem, vel occupationem non possumus operari, ille nos pascet sicut aves, quæ nihil operantur. Cum autem possumus, non debemus tentare Deum, quia hæc quæ possumus, ejus munere possumus; & cum hic vivimus, illo largiente vivimus qui largitus est ut possumus; & ille nos pascit à quo aves pascuntur, sicut dicitur: *Et Pater vester celestis pascit illa.* *Nonne vos magis pluris estis?* *Augustinus* de Serm. Domini in monte (Lib. 2. cap. 22. in fin.) Id est carius vos valetis, quia rationale animal, sicut est homo, sublimius ordinatur in rerum natura quam irrationalia, sicut sunt aves. *Augustinus* 11. de Civit. Dei (cap. 16.) Plerumque tamen carius comparatur equus quam servus, & gemma quam famula, non ratione considerantis, sed necessitate indigentis, seu voluptate cupientis. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 16. in op. imperf.) Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se: quanto ergo pretiosior est hominis creatio, tanto major est Dei sollicitudo de ipſo. Si ergo aves non laborantes inveniunt escas, homo non inveniet, cui Deus dedit & operandi scientiam, & fructificandi spem? *Hieronymus* (super illud, *Respiciite volatilia cæli.*) Sunt autem quidam qui dum volunt terminos patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur. Volatilia cæli Angelos esse volunt, ceteraque in Dei ministerio fortitudines, quæ absque sui cura, (1) Dei aluntur providentia. Si hoc itaque est, ut intelligi volunt, quomodo sequitur dictum ad homines: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Simpliciter ergo (2) accipiendum, quod si volatilia absque cura, & ærumnis, Dei aluntur providentia, quæ hodie

sunt, & cras non erunt; quanto magis homines, quibus æternitas repromittitur? *Hilarius* (can. 5. in Matth. circ. med.) Potest autem dici, quod sub nomine volucrum, exemplo nos immundorum spirituum hortatur, quibus sine aliquo negotio querendi, & congregandi, vivendi tamen tribuitur de æterni consilii potestate substantia; atque ut ad immundos istud spiritus referatur, opportune adject: *Nonne vos magis pluris estis illis?* de comparationis præstantia differentiam nequitia, & sanctitatis ostendens. *Glossa*. Non solum autem ex exemplo avium, sed experimento docet, quod ad hoc quod sumus, & vivimus, nostra cura non sufficit, sed divina providentia operatur, dicens: *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 16. in op. imp. à medio.) Deus enim est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente. Si ergo in teipſo quotidie Dei providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? Si autem vos cogitando modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto? *Augustinus* de Serm. Domini in monte (Lib. 2. cap. 23. circ. princ.) Vel potest referri ad sequentia; ac si diceret, non esse cura nostra factum ut ad hanc staturam veniret corpus nostrum: ex hoc intelligi potest quod si velletis adjicere unum cubitum, non possidetis. Illi ergo tegendi corporis curam relinquite cujus cura factum est ut esset tantæ stature. *Hilarius* (can. 5. in Matth. circ. med.) Vel aliter. Sicut fidem vitalis substantia nostræ de documento spirituum firmavit, ita opinionem futuri habitus, judicio communis intelligentiæ dereliquit. Cum enim universorum corporum quæ vitam hauserunt, diversitatem in unum perfectum virum sit excitaturus, solusque potens sit (3) ad uniuscujusque proceritatem cubitum unum, & alterum; tertiumve præstare; de vestitu, id est de specie corporum, cum ejus contumelia ambigimus qui, ut æqualem omnem (4) hominem efficiat, tantum mensuræ est humanis corporibus additurus. *Augustinus* ult. de Civit. Dei (cap. 15. in princ.) Sed si Christus in ea mensura corporis in qua mortuus est, resurrexit, nefas est dicere, cum resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram corpori ejus eam magnitudinem quam non habuit, quando in ea discipulis, in qua notus erat, apparuit, ut longissimis fieri possit æqualis. Si autem dixerimus ad dominici corporis modum, etiam minorum majorumque corpora redigenda, peribit de multorum corporibus per plurimum, cum

(1) *Al.* Dei sui. (2) *Al.* accipiunt. (3) *Al.* omittitur ad. (4) *Al.* deest hominem.

cum ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo ut quisque recipiat suam mensuram, quam vel habuit in iuventute, si senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. Et ideo non est dictum ab Apostolo, In mensuram futuram, sed, In mensuram ætatis, ut plenitudinis Christi: Ephel. 4. quia resurgent corpora mortuorum in juvenili ætate, & robore, ad quam Christum pervenisse cognovimus.

(t) *Chrysostr. in hom. (23.)* Postquam monstravit quod non oportet nos pro cibo esse sollicitos, ad id quod levius est pertransit: neque enim ita necessarium est indumentum sicutibus: unde dicit: *Et de vestimentis quid solliciti estis?* Non autem hic utitur exemplo volucrum, ut inducere pavonem, & cygnum, à quibus erat similia exempla accipere; sed utitur exemplo liliorum, dicens: *Considerate lilia agri.* Vult ex duobus monstrare superabundantiam, scilicet à munificencia pulchritudinis, & à (1) vilitate participantium tali decore. *Augustinus de Ser. Dom. in monte (Lib. II. cap. 23.)* Ipsa autem documenta non sic allegorice discutenda sunt ut queramus quid significent aves cæli, aut lilia agri: posita sunt enim ut de rebus minoribus majora persuadeantur. *Chrysostr. super Matth. (hom. 16. in op. imperf.)* Lilia enim statuto tempore formantur in frondibus, vestiantur candore, implentur odoribus; & quod terra radici non dederat, Deus invisibili operatione largitur. In omnibus autem eadem plenitudo servatur, ut non ab eventu facta putentur, sed Dei providentia intelligantur esse disposita. Dicendo autem, *Non laborant*, viros confortat; dicendo vero, *Neque nent*, mulieres. *Chrysostr. in hom. (23. in Matth. parum à princ.)* Hæc autem dicens, non opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut & supra cum de seminatione loqueretur. (a) Et ut magis Dei providentiam in ipsis commendat, quæ omnem superat humanam industriam, subdit: *Dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria sua cooperus est sicut unum ex istis.* *Hieronymus (super illud, Considerate lilia agri.)* Revera enim quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura rexticum potest floribus comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid ita candet ut lilius? Violæ vero purpuram nullo superari murice, oculorum magis quam sermonis iudicium est. *Chrysostr. in hom. (23. in Matth. paulo à princ.)* Quantum enim veritatis ad mendacium, tantum vestimentorum, & florum differentia

(1) *Al. utilitate. (2) Al. quanto. (3) Al. deest quid vestiretur. (4) Al. indutus. (5) Al. utilitatem: sic etiam infra.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Chrysostr. super Matth. in opere imperfecto, ut supra.*

est. Si ergo Salomon à floribus superatus est, qui omnibus Regibus fuit præclarior; (2) quando tu vestimentis poteris vincere florum decorem? Est autem Salomon superatus à floribus decore non semel tantum, neque bis, sed per totum tempus sui regni; & hoc est quod dicit: *In omni gloria sua*: quia nec in uno die ita decoratus est ut flores. *Chrysostr. super Matth. (hom. 16. in opere imperf.)* Vel hoc dicit, quia Salomon etsi non laborabat (3) quid vestiretur, tamen jubebat. Ubi autem iusio, illic & ministrantium offensa, & iubentis ira frequenter invenitur. Hæc autem quando nesciunt, sic ornantur. *Hilarius (can. 5. à medio.)* Vel lilia intelligenda sunt Angelorum caelestium claritates, quibus à Deo gloriæ candor (4) indultus est. *Non laborant autem, neque nent*, quia virtutes Angelorum ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte, ut sint semper accipiunt; & cum in resurrectione similes homines Angelis erunt, sperare caelestis gloriæ voluit operimentum, exemplo angelicæ claritatis. *Chrysostr. super Matth. (hom. 16. in op. imperf.)* Si autem floribus terrenis sic occurrit Deus, qui nati sunt ut tantummodo videantur, & perant; homines negliget, quos sic creavit ut non pro tempore videantur, sed ut perpetuo sint? Et hoc est quod dicit: *Si autem senum agri: quod hodie est, & cras in cilibanum mittitur, Lens sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei?* *Hieronymus (super Nolite solliciti esse.)* Cras autem in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Jacob. Gen. 30. *Exaudiet me cras iustitia mea.* *Glossa (ord. super illud, In cilibanum mittitur.)* Alii libri habent, *In ignem*, vel *in acervum*, qui habet speciem cilibani. *Chrysostr. in hom. (23. super Matth. circa princ.)* Non autem lilia iam ea vocat, sed senum agri, ut eorum (5) vilitatem ostendat. Sed & aliam vilitatem apponit dicens, *Quæ hodie sunt*: & non dixit, *Cras non erant*, sed quod est multo deficientius, *Quod in cilibanum mittitur.* Quod autem dicit *Quanto magis vos*, occulte insinuat humani generis honor; ac si diceret: Vos quibus animam dedit, corpus plasma vitæ, Prophetas misit, & unigenitum Filium tradidit. *Glossa.* Dicit autem *Modicæ fidei*, quia modicæ fides est quæ nec de minimis certa est. *Hilarius (can. 5. in Mat. à med.)* Vel sub seni nomine gentes nuncupantur. Si igitur gentibus idcirco tantum indulget æternitatis corporalis ut mox igni iudicii detinentur; quam profanum est sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis

opus

opis præstetur ad penam. *Remigius.* Spiritualiter autem per volatilia sancti viri designantur, qui ex aqua sacri baptismatis renascuntur, & devotione terrena despiciunt, & caelestia petunt; quibus pluri dicuntur esse Apostoli, quia principes sunt omnium sanctorum. Per lilia etiam sancti viri intelliguntur, qui absque labore legationum caeremoniarum, sola fide Deo placuerunt: de quibus dicitur Cant. 11. *Dilectus meus mihi*; qui pascebat inter lilia. *Sancta etiam Ecclesia per liliam intelligitur*, propter candorem fidei, & odorem bonæ conversationis: de qua dicitur ibid. *Sicut liliam inter spinas.* *Per senum designantur infideles*; de quibus dicitur Esa. 9. *Aruit senum, & flos ejus cecidit.* *Per cilibanum æterna damnatio: ut sit sensus: Si Deus infidelibus tribuit bona temporalia, quanto magis tribuet vobis æterna?*

(a) *Glossa.* (a) Postquam sigillatim de victu, & vestitu sollicitudinem excluserat, argumento ab inferioribus sumpto, hic consequenter utramque excludit, dicens: *Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Remigius.* Ideo autem hoc Dominus repetivit, ut ostenderet hanc rem esse pernecessariam, & ut arctius eam in cordibus nostris inculcaret. *Rabanus (super illud, Nolite solliciti esse.)* Notandum vero, quod non ait: *Nolite querere, aut solliciti esse de cibo, aut potu, aut indumento*; sed *Quid manducetis, aut quid bibetis, aut quid vestiamini*: ubi mihi videtur argui qui sumpto victu, vel vestimento communi, laetiora cibi, vel austeriora his cum quibus vitam ducunt, alimenta, vel indumenta requirunt. *Glossa (b)* Est etiam alia sollicitudo superflua ex vitio hominum, quando fructus, & pecuniam plusquam necesse est reservant, & dimissis spiritualibus, illis intenti sunt, quasi de bonitate Dei desperantes; & hoc prohibetur unde subditur: *Hæc enim omnia gentes requirunt.* *Chrysostr. super Matth. (hom. 16. op. imperf.)* Quia in rebus humanis fortunam credunt esse, non providentiam, neque iudicio Dei vitas suas gubernari existimant, sed incerto duci eventu: (1) ideo merito timere, & desperant, quasi qui nemi-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al. & ideo. (2) Al. abjiciatis. (3) Al. qualis. (4) Al. eis. (5) Al. custoditurus. (6) Al. deest utique.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sic tantum Glossa: *Plenius inculcat, & revocit quod à principio sermonis docuit: ut sine sollicitudine vivamus*: tum subjungit proxime quod paulo post ex Rabano ponitur. (b) Insinuat Anselmus paulo aliter, sed nihil tale Glossa modo; quam sæpe pro Anselmo citatam habes in hoc opere universo. (c) Immo potius Nemesius *de Natura hominis* partim cap. 42. quod inscribitur *de Providentia*, quoad priorem appendicem, partim cap. 44. quod inscribitur *Quarum rerum sit providentia*, quoad posteriorem, ut videre est Tom. 2. Biblioth. Græc. PP. nunc enim nihil tale apud Gregorium Nissenum, qui antea pro Nemesio citabatur; eum alia exemplaria citant eum ad marginem hujus Operis *de Provid. cap. 6.*

nem habent gubernantem. Qui autem credit se Dei iudicio gubernari, eam quidem suam in manu Dei committit: unde sequitur: *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Chrysostr. in hom. (23.)* Non autem dixit, *Scit Deus*; sed *Scit Pater vester*, ut eos in majorem spem ducat: si enim pater est, non poterit despiciere filios, cum nec homines patres hoc sustineant. Dicit autem: *Quoniam his omnibus indigetis*: ut magis sollicitudinem (2) abjiciatis, quia necessaria sunt. (3) Qualiter enim est pater qui sustinet etiam necessaria filijs non dare? Si autem essent superflua, non ira oportere confidere. *Augustinus 15. de Trin. (cap. 13.)* Non autem ista ex aliquo tempore cognovit Deus, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid, & quando ab illo petiuri eramus, sine initio ante præcivit. *Augustinus 12. de Civitate Dei (cap. 18.)* Quod autem dicunt quidam, hæc Dei scientia non posse comprehendere, quia infinita sunt; restat esse dicere, quod non omnes numeros Deus noverit, quos infinitos reflectissimum est. Infinitas autem numeri non est incomprehensibilis ei cujus intelligentia non est numerus. Quapropter, si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione sistitur, profecto omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia ejus scientia incomprehensibilis non est. *Gregorius Nissenus (c) Lib. de Homine (seu de Provid. cap. 1. 4. 6. 7.)* Quoniam autem (4) est providentia, per hujusmodi signa demonstratur: permanentia enim universorum, & maxime eorum quæ sunt in generatione, & corruptione, & positio, & ordo eorum quæ sunt, semper (5) custoditur secundum eundem modum: qualiter (6) utique perfriceretur nullo providente? Sed quidam dicunt, Deo curam esse existentium permanentiam in universali, & hujus solius providentiam habere; singularia vero fieri ut contingit. Tres autem causas solas utique quis dicit non fieri providentiam singularium: aut enim hoc quod est ignorare Deum quoniam bonum est particularium diligentiam habere, aut non velle; aut non posse. Sed ignorantia omnino aliena est à beata substantia: qualiter enim latebit Deum quod nec homo sapiens ignorabit.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al. & ideo. (2) Al. abjiciatis. (3) Al. qualis. (4) Al. eis. (5) Al. custoditurus. (6) Al. deest utique.*

quod singularibus destructis, universalis destruantur? Nihil autem prohibet omnia individua perire, nulla procurante potentia. Si autem non vult, propter duas sic causas; aut propter pigritiam, aut propter indecentiam. Pigritia autem a duobus generatur: aut enim voluptate aliqua attracti pigritamur, aut propter timorem desistimus; quorum neutrum fas est cogitare de Deo. Si autem dicant non decere Deum, indignum enim esse tantæ beatitudinis parvis condescendere; qualiter non inveniunt artificem quidem procurantem universalis, nihil particularium, neque parvissimum derelinquere sine procuracione, scientem quod ad totum proficit pars, conditorem vero Deum artificibus enuntiare indoctiorem? Si autem (1) non potest, imbecillus est Deus, & impotens benefacere. Si vero incomprehensibilis nobis est singularium providentiæ ratio, non propterea oportet dicere quia non est providentia ita enim dicent, quia numerum hominum ignoramus, neque homines esse. *Chrysostronus* super *Matth.* (hom. 16. in opere imperf.) Sic ergo qui credit se Dei iudicio gubernari, eam suam in manu Dei committat: cogitet autem de bono, & malo; de quo nisi sollicitus fuerit, neque malum fugiet, neque bonum apprehendet. Et ideo subditur: *Querite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Regnum Dei est retributio bonorum operum; iustitia autem eius, via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo cogites qualis erit gloria sanctorum, necesse est ut aut propter timorem pœnæ recedas à malo, aut propter desiderium gloriæ festines ad bonum. Et si cogitaveris quæ sit Dei iustitia, quid scilicet odit Deus, & quid amat, iustitia ipsa ostendit tibi vias suas, quæ amantes se sequitur. Non autem daturi sumus rationem, si pauperes sumus, aut divites, sed si bene, vel male egerimus, quod est in nostro arbitrio. *Glossa* (interlin.) Vel dicit, *Iustitiam eius*; quasi dicat, ut per eum, non per vos iustifis. *Chrysostronus* super *Matth.* (ibidem.) Terra autem etiam propter peccata hominum maledicitur, ut non germinet, secundum illud *Gen.* 3., *Maledicta terra in opere tuo: benedicitur autem cum bona fecerimus.* Quæ ergo iustitiam, & non deerit tibi panis: unde sequitur: *Et hæc omnia adjicientur vobis.* *Augustinus* de *Sermone Domini in monte* (Lib. 2. cap. 24.) Scilicet temporalia, quæ manifeste hic ostendit non esse talia bona nostra, propter quæ

(1) *Al.* omittitur non. (2) *P. Nicolai* habet nostrum. (3) *Al.* manducemus. (4) *Al.* convenienter. (5) *Al.* testatorum exercitationem. (6) *Al.* variam. (7) *Al.* omittitur ipse.
Ex *epist.* *P. Nicolai*. (8) Seu potius Anselmus, ut jam supra.

bene facere debeamus; sed tamen necessaria esse. Regnum vero Dei, & iustitia eius bonum nostrum est, ubi finis constituendus est. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest; apponitur, inquit, hæc vobis. Cum autem dixit illud primum, significavit quia hoc posterius querendum est non tempore, sed dignitate; illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessarium (2) est. Neque enim (verbi gratia) debemus evangelizare ut manducemus, quia sic vilis haberemus Evangelium quem cibum; sed ideo (3) manducare ut evangelizemus. Querentibus autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, idest hoc præponentibus ceteris rebus, ut hoc propter cetera queramus, non debet subesse sollicitudo, ne necessaria desint: & ideo aliter: *Hæc omnia adjicientur vobis*, idest (4) consequenter, sine ullo vestro impedimento: ne cum ista quaeritis, illinc averramini, aut duos fines constituatis. *Chrysostronus* in hom. (23. in *Matth.*) Et non dixit, *Dabuntur*, sed *Apponentur*, ut discas quia præsentia nihil sunt ad magnitudinem futurorum. *Augustinus* de *Serm. Domini in monte* (Lib. 2. cap. 24.) Cum autem legimus, in fame, & siti. Apostolum laborasse, non existimemus hic Domini promissa titubasse; quandoquidem ista sint adjutoria. Medicus iste, cui nos totos commisimus, novit quando apponat, & quando detrahat, sicut nobis iudicat expedire. Si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter (5) nostram exercitationem Deus finit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat.

(x) *Glossa*. (a) Prohibuerat sollicitudinem præsentium rerum, modo prohibet sollicitudinem futurorum (6) vanam ex vitio hominum provenientem, cum dicit: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* *Hieronymus* (in fine quasi *Com.* in 6. cap. *Matth.*) *Cras* in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente *Jacob. Gen.* 35., *Exaudi me cras iustitia mea:* & in *Samuelis phantasmate*, pythionisa loquitur ad *Saulem* (2. *Reg.* 28.) *Cras eris mecum.* De præsentibus ergo concessit debere esse sollicitos qui futura prohibet cogitare. Sufficit enim nobis præsentis temporis cogitatio: futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Et hoc est quod dicitur: *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse*; idest, (7) ipse afferet sollicitudinem suam secum. *Sufficit enim diei malitia sua.* Hic ma-

litiam non contrariam virtuti posuit, sed (1) laborem, & afflictionem, & augustianum sæculi. *Chrysostronus* in hom. (23. in *Matth.*) Nihil enim ita dolorem infert animæ, ut sollicitudo, & cura. Cum autem dicat, quod crastina dies erit sollicita de seipso, volens manifestius facere quod dicitur, prosopepejam facit temporis, secundum multorum consuetudinem, loquens ad plebem imperfectam: ut enim eos magis moveat, ipsos dies conquerentes inducit pro superflua cura. Numquid enim dies non sufficiens habet onus; idest curam suam? Quid igitur eum aggravas magis, curam quæ pertinet ad alium diem apponendo? *Chrysostronus* super *Matth.* (hom. 16. in opere imperf.) Vel aliter. Per hodie hæc solum significantur quæ habemus in vita præsentis necessaria. Quia autem dicit, *Cras*, quod superfluum (2) est ostendit: dicit ergo: *Nolite solliciti esse in crastinum*; idest, nihil curetis super id habere quod necessarium est vobis ad vitam quotidianam: quod enim superfluum fuerit, quod est cras, curabit se. Et hoc est quod dicit: *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse*; ac si dicat: Superflua cum congregaveris, ipsa se curabunt: te quidem eis non fruentem, inventient dominos multos, qui ea procurent. Quid ergo curas de illis, quorum potestatem alijs es dimissurus? *Sufficit enim diei malitia sua*; quasi dicat: Sufficit tibi labor quem pateris propter necessaria: noli de superfluis laborare. Vel aliter. *Augustinus* de *Ser. Domini in monte* (Lib. 2. cap. 25.) Non dicitur crastinus dies, nisi in tempore, ubi præterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni opera-

(1) *Al.* in laborem. (2) *Al.* desideratur esse.

CAPUT VII.

(a) **N**olite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

(b) Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, sine ejciam festucam de oculo tuo; & ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

(c) Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos.

(d) Petite, & dabitur vobis, quarere, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quaerit, invenit; & pulsanti aperietur.

(e) Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius panem, numquid lapidem portiget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem portiget ei? Si ergo vos cum sitis malis, nolitis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?

(f) Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetarum.